

De Non Alio Nicolai de Cusa

SATOSHI ÔIDE

I

1. In "De non aliud" Nicolaus de Cusa dicit : «istud ('non aliud') est, quod per oppositorum coincidentiam annis multis quaesivi» (NA. IV ; 9, 9)⁽¹⁾. Si ita est, sique, ut Ludwig Baur dicit,⁽²⁾ conceptus Dei ut 'non aliud' est conclusio et coronatio conceptus coincidentiae oppositorum in Deo, oportet ut ex una parte cogitationem explicationis et complicationis omnium in "De docta ignorantia" anno 1440 conscripto perfectius explicare possimus in relatione ad conceptum 'non aliud', quod in "De non aliud" anno 1462 conscripto longe lateque disputatur, ex alia parte conceptum 'non aliud' facilius intelligere possimus in relatione ad "De docta ignorantia". Ad hoc pertinet intentio mea : volo nempe tum, quam perfectissime atque brevissime, in relatione ad conceptum 'non aliud' explicare rerum trium a sancta Trinitate descensionem, quam in tractatu meo «De explicatione et complicatione omnium in "De docta ignorantia"»⁽³⁾ satis explicare non potui, tum, simul, in hac rerum triuna descensione videre definitionem ipsius 'non aliud'.

Primo dicitur de illatione rerum in ipsum 'non aliud'.

Secundo dicitur de descensione triuna rerum ab ipso 'non aliud'.

Tertio dicitur de definitione ipsius 'non aliud'.

2. Postquam Socrates, quaerendo 'quid est virtus?', ex cogitationibus vulgaribus, quae ex vita quotidiana desumptae sunt, ideam generalem i. e. definitionem virtutis eduxit, in decursu philosophiae formata est traditio,⁽⁴⁾ secundum quam definitio est *λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων*⁽⁵⁾ et acquisitio eius est scientia. Secundum hanc traditionem Nicolaus a Ferdinando, una personarum Dialogi "De non aliud" quaerit : «quid est quod nos apprime facit scire ?», et eum facit respondere : «defini-

tio).⁽⁶⁾Sed Nicolaus non putat quod definitio aristotelico-thomistica sit praecisissima atque verissima. Nam secundum traditionem aristotelico-thomisticam, cum definitio sit expressio verbalis essentiae obiectivae, est distinctio inter definitionem et essentiam obiectivam⁽⁷⁾ ; quam ob rem potest definitio suae essentiae obiectivae non convenire.⁽⁷⁾ Cogitat igitur quod oportet ut definitio praecisissima atque verissima sit ea, cuius inconvenientia ad suam essentiam obiectivam non potest oriri. Talis definitio invenitur, quando dicitur : «caelum est non aliud quam caelum» (NA. I ; 5, 3), «aliud est non aliud quam aliud» (NA. I ; 5, 2), «'non aliud' est non aliud quam 'non aliud'» (NA. I ; 4, 29) etc. His enim in definitionibus definitiones suis essentiis obiectivis convenire clarum est. Quare dicit Nicolaus : «nihil manet dubii, quin hic definiendi modus, quo 'non aliud' se et omnia definit, praecisissimus sit atque verissimus» (NA. I ; 5, 6). Sic Nicolaus stans in traditione, quod acquisitio definitionis est scientia, loco definitionis traditionalis ponit suam propriam definitionem, quae exprimitur 'A est non aliud quam A'.

Talis transmutatio modi definiendi videtur et in historia philosophiae graecae. Est transmutatio a modo definiendi socratico ad antisthenicum, si, sicut Nicolaus orationem 'A est non aliud quam A' definitionem nominat, ita Antisthenis orationem 'S est S' definitionem nominare possumus. Negat quidem Antisthenes definitionem socraticam. Ita : permittitur de subiecto praedicari ipsum subiectum, sed non permittitur de subiecto praedicari aliud ab ipso subiecto, quia contradictorium est unum subiectum continere multa.⁽⁸⁾ Hoc vituperatur ab Aristotele : «*ἄπειρον ἐβήθως* (cogitabat stulte)» (Met. 129, 1024b32). Aristoteles enim non sinit ut id, quod definiendum est, in ratione definitionis contineatur.⁽⁹⁾ Sed videbimus quod, etiamsi eadem vituperatio Nicolao adiciatur, superabitur tamen laudatione, quam ut theologus accipere dignus est.

3. In initio ipsum 'non aliud' non est nisi id, quod exprimit identitatem alicuius cum se ipso. Sed ipsum 'non aliud' usurpatur ad Deum significandum propter similitudinem inter virtutem, quam habet ipsum, et eam, quam habet Deus. Sicut quidem 'non aliud' se et omnia definit, ut supra dictum est, ita primum principium, quod est Deus, definit et se ipsum et omnia, ut dicitur : «cum primo non sit prius, sitque ab

omnibus posterioribus absolutum, utique non nisi per semetipsum definitur. Principiatum vero cum a se nihil, sed, quidquid est, habeat a principio, profecto principium est ratio essendi eius seu definitio» (NA. II ; 5, 24). Ex analogia igitur inter ipsum 'non aliud' et primum principium, possumus usurpare ipsum 'non aliud' ut significemus primum principium, quod est Deus. Haec est praecisissima significatio Dei.⁽¹⁰⁾

4. Ipsum 'non aliud' sese offert ut «principium essendi» (NA. III ; 6, 30) omnium. Nam si cessaret frigus, etiamsi cessaret et glacies, maneret tamen aqua prior glacie ; si vero cessaret ens, etiamsi cessaret et glacies et aqua, maneret tamen materia seu «possibilitas essendi aquam»,⁽¹¹⁾ quae una dici possibilitas potest ; si vero cessaret unum, etiamsi cessaret et glacies et aqua et possibilitas essendi aquam, maneret tamen «omne intelligibile, quod posset ad essendi aquam possibilitatem⁽¹¹⁾ necessari per omnipotentiam», sicut nihil vel chaos ; «verum si ipsum 'non aliud' cessaret, statim omnia cessarent, quae ipsum 'non aliud' antecedit». ⁽¹²⁾ Principium autem essendi est et principium cognoscendi, sicut lux sensibilis est simul principium essendi coloris visibilis, quia color visibilis non potest esse sine lucis sensibilis determinatione, ut iris ostendit, simul principium sensibilter videndi, quia visus sensibilis absque luce sensibili nihil videre potest.⁽¹³⁾ Unde dicitur : «sicut sublato 'non aliud' nec manet, nec cognoscitur quidquam : sic in ipso quidem omnia et sunt et cognoscuntur et videntur» (NA. V ; 11, 19). Sic Nicolaus omnia infert in ipsum 'non aliud', quod est Deus.

5. Sed ut intelligamus quid significet omnia in ipso et esse et cognosci seu videri, debemus respicere "De docta ignorantia".


Ibi Nicolaus dicit quod res singularis est trium materiae, formae et nexus earum seu trium contrahibilis, contrahentis et nexus eorum seu trium possibilitatis, necessitatis complexionis et nexus earum seu trium potentiae, actus et nexus eorum⁽¹⁴⁾ ; et dicit quod descendit res singularis triuniter a Deo triuno : materia quidem descendit a «possibilitate absoluta quae in Deo est Deus» (DI. II, 8 ; 83, 2),⁽¹⁵⁾ forma autem a «Verbo, quod est ratio et idea atque absoluta rerum necessitas» (DI. II, 7 ; 83, 4), nexus autem a «Spiritu sancto, qui est nexus infinitus» (DI. I, II, 7 ; 83, 18). Et eorum unumquodque in Trinitatem inferens dicit :

«sicut igitur omnis possibilitas est in absoluta, quae est Deus aeternus, et omnis forma et actus in absoluta forma, quae est Verbum Patris et Filius in divinis, ita omnis motus connexionis et proportio ac harmonia uniens est in absoluta connexionione divini Spiritus, ut sit unum omnium principium Deus» (DI. II, 10 ; 99, 2).

Ipsium autem 'non aliud', quod est Deus, definitur : 'non aliud' est non aliud quam 'non aliud'. primum quidem 'non aliud' huius propositionis intelligitur Pater seu «unitas, quae indistinctionem a se dicit et ab alio distinctionem» (NA. V ; 13, 10) ; tertium autem 'non aliud' intelligitur Filius seu «aequalitas unitatis» (DI. II, 7, ; 82, 24), quia aequale est primo ; secundum autem 'non aliud' intelligitur Spiritus sanctus seu «nexus» (NA. V ; 13, 8) unitatis et aequalitatis, quia necit primum et tertium.⁽¹⁶⁾

Illa igitur propositio «in ipso ('non aliud') quidem omnia et sunt et cognoscuntur et videntur» sic potest dici : in ipso quidem 'non aliud', quod est Pater seu Unitas seu possibilitas absoluta, omnis possibilitas, in illo autem, quod est Filius seu Aequalitas seu forma absoluta, omnis forma, in illo autem, quod est Spiritus sanctus seu Nexus Unitatis et Aequalitatis seu connexio absoluta, omnis motus connexionis et est et cognoscitur et videtur.

Unde habemus schema 1.



schema 1

II

6. De definitione porro ipsius 'non aliud' supra dicta, Nicolaus dicit : «quando primum principium ipsum se definit per 'non aliud' significatum, in eo definitivo motu de non alio non aliud oritur atque de non alio et non alio exorto in non alio concluditur definitio» (NA. V ; 13, 17). Haec propositio, quia in Deo videre est definire,⁽¹⁷⁾ quiaque unumquodque 'non aliud' significat Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ut supra dictum est, potest dici : quando Deus se ipsum videt, in ea visione ex Patre nascitur Filius seu Verbum et ex Patre Filioque procedit Nexus eorum seu Spiritus sanctus. Hac in aeterna sui ipsius intuitione, in qua non est aliud videns (Pater), aliud visibile (Filius) et aliud videre (Spiritus sanctus) ab ipsis procedens,⁽¹⁸⁾ Deus manere potuit sine creaturis. Sed tamen ad gloriae suae ostensionem voluntate, in qua est sapientia et potentia, omnia creavit.⁽¹⁹⁾ Hoc in creationis tempore Deus ea visione, qua se videt, simul et omnia vidit.⁽²⁰⁾ Hoc videre non dicit quod potentia videntis ab omnibus moveatur,⁽²¹⁾ sed quod videns constituit omnia ; nam «illius videre constituere est, quemadmodum inquit Moyses Deum vidisse lucem bonam et factam esse» (NA. XXIII ; 54, 28). Quare creatio est quod ipsum 'non aliud', quod est Deus, definitione sui ipsius educit aliud.

Sed hoc 'aliud', quia ab ipsius 'non aliud' definitione sui ipsius descendit, ideo debet habere similitudinem ipsius 'non aliud' secundum quod «causatum originem atque rationem, qua est id quod est, quanto propinquius et similis potest, concomitatur» (DI. II, prolog. 60, 6). Haec similitudo est quod«aliud est non aliud quam aliud» (NA. I ; 5, 2).

«omnia una video ratione non aliud quam id, quod sunt, esse, quia scilicet visus, qui 'non aliud' est, non aliud a se ipso vidit.» (NA. XXIII ; 54, 31)

unde et dicitur : creatio est quod ab ipso 'non aliud' descendit 'non aliud'.

7. Secundum "Parmenidem" Platonis, si unum est, oportet quod alia et ut totum simul et ut pars participant unum.⁽²²⁾ Haec cogitatio apparet et in Nicolao ut «explicatio unitatis»⁽²³⁾ : a prima unitate (unitate absoluta) descendit secunda unitas (unitas universi), ab hac tertia (genera), ab hac quarta (species) et ab hac individua. Unum autem

dicit 'non aliud'; nam illa formula 'A est non aliud quam A' non est nisi negativa expressio huius S. Thomae propositionis «sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid, in quantum est ab aliis divisum» (De Veritate q. 1, a. 1 cor.), ut Paul Wilpert dicit in Anmerkungen zu Kapitel I. «Explicatio unitatis» igitur est quod ab ipso 'non aliud' descendit 'non aliud', ut supra dictum est.

Id autem, quod unum esse facit, est spiritus creatus, qui descendit a Spiritu sancto.⁽²⁴⁾ Descensio igitur illarum unitatum ab unitate absoluta significat descensionem huius 'non aliud', quod est spiritus connexionis creatus, ab ipso 'non aliud', quod est Spiritus sanctus seu connexio absoluta. Hoc 'non aliud', quod est spiritus connexionis creatus, per totum universum et singulas eius partes taliter diffusum est⁽²⁵⁾ ut materiam (potentiam) et formam (actum) connectens unamquemque rem esse faciat easque connectens unum universum perficiat.⁽²⁶⁾ Quare hoc 'non aliud' est entitas rei.

Ab hoc autem 'non aliud', quod etiamsi post illud 'non aliud', quod est connexio absoluta, videatur, illud 'non aliud', abesse nequit.

«ita 'non aliud' videtur ante omnia, quod ex his, quae post ipsum videntur, nullis abesse possit.» (NA. IV ; 10, 26)

«Sic 'non aliud' ante ista (unum, ens, verum et bonum) videtur et alia, quod post ipsum non sunt, sed per ipsum.» (NA. IV ; 10, 22)

Hoc in sensu potest dici quod Deus, qui est 'non aliud', est absolute in omnibus.⁽²⁷⁾ Deus igitur, qui est 'non aliud', est, ut «entitas absoluta» (DI. II, 4 ; 74, 13), in omnibus ; aliis verbis, Deus, qui est 'non aliud', est, ut 'non aliud', in unaquaque re et ab ea non est alius, etiamsi non sit unaquaeque res, quae est 'aliud'.

«Deus vero, qui 'non aliud' est, non est caelum, quod aliud, licet nec in ipso sit aliud, nec ab ipso aliud.» (NA. VI ; 14,8)

8. Aliud porro, quod ipsum 'non aliud' prioriter — i. e. secundum prioritatem naturae — educit definitione sui ipsius, est contrahibilitas seu quaedam possibilitas,⁽²⁸⁾ quia principium generationis rerum considerantes videmus nihil praecedere posse.⁽²⁹⁾ Sicut 'non aliud', quod est Pater, praecedit illud, quod est Verbum, ita contrahibilitas, quae ab unitate gignente in divinis descendit,⁽³⁰⁾ praecedit contrahens seu actum, qui

descendit a Verbo.⁽³¹⁾ Sed haec contrahibilitas non potest esse pura possibilitas seu penitus indeterminata per quemcumque actum possibilitas⁽³²⁾; nam quia «Deus, cum sit actus infinitus, non est nisi causa actus» (DI. II. 8 ; 88, 12), haec contrahibilitas debet habere et possibilitatem simul et actum. Undenam oritur haec possibilitas ? Ex contingenti oritur per hoc, quod esse a Deo non potest esse penitus et simpliciter et absolute actus.⁽³³⁾ Sed haec possibilitas ita sive plus sive minus contrahitur necessario per actum, qui est necessario a Deo,⁽³⁴⁾ ut in mundo habeantur differentiae et graduationes actualitatum rerum et «omnia sint eo meliori modo, quo esse possunt» (DI. I, 5 ; 12, 3) ; quare dicitur quod «mundus non est contingenter a Deo» (DI. II, 8 ; 89, 14), etiamsi actus ita contrahatur ex contingenti per possibilitatem,⁽³⁵⁾ ut in mundo habeatur contingentia. Inde dicitur quod illa contrahibilitas, quae prioriter descendit ab unitate gignente in divinis, taliter contracta est per actum, qui est necessario a Deo, ut «ad essendum mundum istum tantum aptitudinem habeat» (DI. II, 8 ; 88, 27). Sublata autem possibilitate absoluta, quae est et «ipsa necessitas absoluta» (DI. II, 7 ; 84, 4), non potest manere 'ad essendum mundum istum tantum aptitudo'. Secundum hoc igitur, ipsum 'non aliud', quod est possibilitas absoluta, non potest esse aliud quam illa contrahibilitas, quae prioriter descendit ab unitate gignente in divinis.

9. Nicolaus porro dicit : «est Deus causa efficiens et formalis atque finalis omnium, qui efficit in Verbo uno omnia quantumcumque diversa inter se» (DI. II, 9 ; 95, 24). Ab una absoluta forma descendunt plures formae, quae contrahunt contrahibilitatem seu materiam. Una autem absoluta forma, cum absoluta sit a pluralitate, non potest multiplicari. Quomodo igitur explicari potest haec descensio plurium ab uno ? Respondet Nicolaus : «diversitas in Deo identitas» (DI. II, 9 ; 95, 3) ; «quando igitur dicitur Deum alia ratione creasse hominem, alia lapidem, verum est habendo respectum ad res, non ad creantem, — sicut in numeris videmus : Ternarius est ratio simplicissima non recipiens nec magis nec minus, in se una ; ut autem ad res diversas refertur, secundum hoc alia ratio existit. Nam alia est ratio ternarii triangulorum in triangulo ; alia materiae, formae et compositi in substantia ; alia patris, matris et filii, aut trium hominum et trium asinorum» (DI. II, 9 ; 95, 7). Quare potest

dici : «unum infinitum exemplar tantum est sufficiens et necessarium, in quo omnia sunt ut ordinata in ordine, omnes quantumcumque distinctas rerum rationes adaequatissime complicans» (DI. II, 9 ; 94, 25). Hoc autem unum infinitum exemplar est Verbum, quod est ipsum 'non aliud'. In ipso igitur 'non aliud' omnes rerum formae indistincte complicantur.

«formae rerum non sunt distinctae, nisi ut sunt contracte ; ut sunt absolute, sunt una indistincta, quae est Verbum in divinis.» (DI. II. 9 ; 94, 17)

Unde dicitur quod «'non aliud' formarum est forma» (NA. X ; 23, 19).

10. Ipsum 'non aliud' porro, quod est forma formarum, non est quidditas, quae est 'τὸ τὲ ἦν εἶναι' seu essentia rerum, sed dicitur «quidditas absoluta» (DI. II, 4 ; 74, 14), quae est essentia essentiarum.⁽³⁶⁾ Essentia vero rerum dicitur «quidditas contracta» (DI. II, 4 ; 74, 17). Absoluta quidem quidditas omnium est eadem, contracta autem quidditas unius rei est diversa a quidditate contracta alius rei.

«quidditas solis absoluta non est aliud a quidditate absoluta lunae.....et quidditas contracta solis est alia a quidditate contracta lunae.» (DI. II, 4 ; 74, 12)

Udenam oritur haec diversitas quidditatis contractae uniuscuiusque rei ? Ex eo quod universum, quod est quidditas contracta omnium, aliter atque aliter contrahitur.⁽³⁷⁾ Haec contractio, etiamsi in ordine temporis fiat simul,⁽³⁸⁾ tamen in ordine intentionis Dei fit secundum prius et posterius : «sicut in intentione artificis est prius totum, puta domus, quam pars, puta paries, ita dicimus, quia ex intentione Dei omnia in esse prodierunt, quod tunc *universum prius prodiit et in eius consequentiam omnia*, sine quibus nec universum nec perfectum esse posset» (DI. II, 4 ; 75, 4). Sicut igitur in ordine intentionis artificis domus, quae est quaedam imago intellectus eius, in partes contrahitur, ita in ordine intentionis Dei universum, quod est maxima imago Verbi,⁽³⁹⁾ in res diversas contrahitur.

11. Hic modus, quo universum, quod est maxima imago Verbi, descendit a Verbo et contrahitur ad individua, explicatur analogia eius modi, quo substantia absoluta contrahitur ad substantiam specificatam et substantia specificata contrahitur ad partes suas.

Hic «substantia absoluta» (NA. XII ; 25, 26) dicit eam «quae essendi forma possibilis sensibilisque substantiae intelligitur» (NA. XII ; 26,

1) seu eam «quam intellectus videt separatam» (NA. XII ; 26 12), puta «absolutam humanitatem» (DI. II, 5 ; 78, 23), quae est homo ut species ; quae variis nominibus vocatur : «intelligibilis substantia» (NA. XII ; 26, 1), «prima substantia» (NA. XII ; 26, 12), «substantia seu forma specifica» (NA. XII ; 26, 12) et «specificum principium» (NA. XIII ; 27, 8).

Id, quod substantia absoluta determinat, dicitur «materia substantificabilis» (NA. XII ; 25, 28), «substantialis materia» (NA. XII ; 25, 33), «substantialis possibilitas» (NA. XII ; 26, 10), «materia specificabilis» (NA. XII ; 26, 14) et «possibilitas specificabilis» (NA. XIII ; 27, 9).

Id, quod ex his duabus oritur, dicitur «substantia specificata» (NA. XII ; 26, 14), «sensibilis substantia» (NA. XII ; 25, 33), «individuum» (DI. II, 6 ; 80, 6), «singulare» (DI. II, 6 ; 80, 10) et «particulare» (DI. II, 6 ; 79, 20).

12. Substantia absoluta contrahitur ad varias substantias specificatas eo quod ex una parte substantia absoluta substantificat materiam substantificabilem per suum actum, ex alia parte materia substantificabilis specificat seu particularizat substantiam absolutam per suam essendi possibilitatem, quae in uno individuo est alia quam in alio ; e. g. oriuntur varii carbunculi eo quod, ex una parte, substantia absoluta carbunculi «posse esse carbunculi facit actu suo actu esse carbunculum» (NA. XIII ; 27, 11), ex alia parte, posse esse carbunculi specificat substantiam absolutam carbunculi per suam «carbunculi possibilitatem essendi specificabilem» (NA. XIII ; 27, 9) seu per suam «essendi possibilitatem, in uno aliam quam in altero»⁽⁴⁰⁾ (NA. XII ; 25, 31). Et ita fit ut substantia absoluta sit in variis individuis suis, ut «specificans» (NA. XIII ; 27, 4) seu «aliquid quod eiusdem ipsos speciei efficit» (NA. XIII ; 27, 3), et secundum hoc sit in hoc individuo hoc et in illo illud, licet nec sit hoc nec illud. Hunc contractionis modum, quo substantia absoluta contrahitur ad substantias specificatas, transfert Nicolaus in eum, quo substantia specificata contrahitur ad suas partes : sicut absoluta humanitas, secundum quod est in Socrate et Platone ut specificans, in Socrate est Socrates et in Platone Plato, licet nec sit Socrates nec Plato,⁽⁴¹⁾ ita con-


tracta humanitas — puta humanitas Socratis — est in oculo oculus, in corde cor et ita de reliquis,⁽⁴²⁾ licet nec sit oculus nec cor ; aliis verbis, sicut absoluta humanitas non est alia a substantia Socratis, licet non sit Socrates, ita contracta humanitas Socratis non est alia a substantia manus eius, licet non sit manus.⁽⁴³⁾

13. Specificans porro, cum non sit aliud a quacumque cuiuslibet individui substantia, anterioriter ante pluralitatem individuorum intuemur ipsius 'non aliud' similitudinem ; e. g. specificans carbunculi, secundum quod est aliquid quod carbunculum quemlibet esse carbunculum facit, seu «carbunculi cuiuslibet internum substantiale principium» (NA. XIII ; 27, 7) quo subtracto carbunculus non manebit, cum non sit aliud a quacumque cuiuslibet carbunculi substantia, anterioriter ante pluralitatem carbunculo-rum intuemur ipsius 'non aliud' similitudinem.⁽⁴⁴⁾ Absoluta igitur substantia est similitudo ipsius 'non aliud', ut dicitur : «est ipsa humanitas absoluta quasi Deus» (DI. II, 5 ; 78, 22).

Per hanc similitudinem absolutae humanitatis et ipsius 'non aliud' Nicolaus modum, quo absoluta humanitas contrahitur, transfert in eum, quo ipsum 'non aliud' contrahitur : sicut absoluta humanitas est principaliter seu prioriter in Socrate, et consequenter mediante Socrate in quolibet membro aut qualibet parte,⁽⁴⁵⁾ ita Deus, qui est ipsum 'non aliud', est principaliter absolute in universo,⁽⁴⁶⁾ et consequenter mediante universo absolute in quolibet individuo. Sed hic attendendum est quod, licet absoluta humanitas sit in Socrate Socrates et mediante Socrate sit in oculo eius oculus, Deus tamen, qui est ipsum 'non aliud', etiamsi in universo sit, non est in universo universum⁽⁴⁷⁾ et, etiamsi mediante universo sit in quolibet individuo,⁽⁴⁸⁾ non est in individuo individuum.⁽⁴⁹⁾

Ex eo autem quod et contracta humanitas et universum est medium, dicitur quod «est humanitas contracta quasi universum» (DI. II, 5 ; 78, 22). Inde dicitur quod sicut contracta humanitas contrahitur ad quodlibet membrum et in oculo est oculus et in corde cor, licet nec sit oculus nec cor, ita universum contrahitur ad quamlibet partem, puta solem et lunam, et in sole est sol et in luna est luna, licet nec sit sol nec luna.⁽⁵⁰⁾

Unde habemus schema 2.




schema 2

14. Per similitudinem porro substantiae specificatae et universi dicitur quod sicut substantia specificata seu sensibilis substantia oritur ex eo quod nexus, qui est «spiritus creatus, sine quo nihil est unum aut subsistere potest» (DI. II, 10 ; 98, 14), connectit substantiam absolutam seu formam specificam et materiam substantificabilem, ita universum oritur ex eo quod nexus universi, qui est «spiritus per totum universum et singulas eius partes diffusus et contractus» (DI. II, 10 ; 97, 27), connectit maximam imaginem Verbi et possibilitatem universi, quae «ad essendum mundum istum tantum aptitudinem habet» (DI. II, 8 ; 88, 27). Deus autem, qui est 'non aliud', est triunitas Patris, qui est possibilitas absoluta, Filii seu Verbi, quod est forma absoluta, et Spiritus sancti, qui est connexio absoluta. Unde dicitur descensio sequens. A possibilitate absoluta per infinitum descendit prioriter possibilitas universi et consequenter ab hac descendit materia individui. Possibilitas absoluta, secundum quod eius sublatio est omnium materiarum sublatio, est in possibilitate universi et mediante hac est in materia individui, licet in possibilitate universi non sit possibilitas universi et in materia individui non sit materia individui ; sed possibilitas universi est in materia individui materia individui. Item a connexione absoluta per infinitum descendit prioriter nexus universi et consequenter ab hoc descendit nexus individui. Connexio absoluta, secundum quod eius sublatio est omnium unitatum entitatumque sublatio, ut entitas absoluta, est in nexu universi et mediante hoc est in nexu individui, licet in nexu universi non sit nexus universi et in nexu individui non sit nexus individui; sed nexus universi est in nexu individui nexus individui. Itemque a forma absoluta per infinitum descendit prioriter maxima imago Verbi seu universum et consequenter ab hoc descendit forma individui. Forma absoluta, secundum quod eius sublatio est omnium formarum sublatio, ut quidditas absoluta, est in universo et mediante hoc est in forma individui, licet in universo non sit universum et in forma individui non sit forma individui; sed maxima imago Verbi seu universum est in forma individui, forma individui, aliis verbis, universum, ut quidditas contracta, est in individuo individuum.

«Solum singulare actu est, in quo universalialia sunt contracte ipsum.» (DI. II, 6 ; 80, 10) ; «est universum in quolibet contracte id, quod est ipsum contracte.» (DI. II, 5 ; 77, 3)

Unde habemus schema 3, in quo res intelligitur triunitas descensionis materiae a Patre, descensionis formae a Verbo et descensionis nexus a Spiritu sancto, aliis verbis, res intelligitur descensio triuna ipsius 'non aliud'.



schema 3

15. Ex schemate supra ostenso et ex eo quod supra dictum est, patet, ex una parte, omnia ascendere triuniter per 'non aliud', quod est in omnibus, ad ipsum 'non aliud', quod est Deus, et in ipso 'non aliud' esse triuniter ut ipsum 'non aliud', ex alia parte, ipsum 'non aliud', quod est Deus, descendere triuniter ad omnia et in omnibus esse triuniter ut 'non aliud'. Hoc est id quod Nicolaus dicit in "De docta ignorantia": «scis Deum omnium rerum complicationem et explicationem, et — ut est complicatio — omnia in ipso esse ipsum,⁽⁵¹⁾ et — ut est explicatio — ipsum in omnibus esse id quod sunt» (DI. II, 3 ; 72, 13).

Hic circuitio est perfecta.⁽⁵²⁾ Nunc igitur tractanda est definitio ipsius 'non aliud', quod est initium finisque huius circuitiois et est id, quod per hanc circuitioem est.

III

16. Secundum Nicolaum quidditas rei est triplici modo.

Primo, quidditas rei, ut ipsum 'non aliud' seu quidditas absoluta, est in Deo. Hic est praecisissimus atque verissimus eius essendi modus.

«Quando enim de terra, quam rationis obtutu esse quid aliud a non terra video seu caelo sive igne, me ad intuendum ipsam in principio transfero : ibi ipsam a non-terra aliam non video, quia ipsam principium, quod ab aliquo non aliud est, video ; Qui enim sic terram videt, quod 'non aliud' ipsam videt, praecisissime intuetur. Et hoc est quidditatis ipsius et omnium quidditatem cernere.» (NA. XXI ; 51, 14-23)

Secundo, quidditas rei, ut quidditas contracta, est in intellectu : intellectus noster apprehendit quod unum universum contrahitur gradatim ad quidditatem uniuscuiusque rei, quodque alia est quidditas contracta aquae, alia quidditas contracta ignis et alia quidditas contracta terrae etc. «Hic essendi quidditatis secundus seu intellectualis est modus» (NA. XXI ; 51, 25)

Tertio, quidditas rei est particulariter in sensu.

«At tertius essendi est modus, quemadmodum per animam hoc ab illo discernentem animaliter attingitur, prout res seu rei quidditas sentitur.» (NA. XXI ; 51, 26)

17. Tertio in casu, id quod attingimus, non est ipsa quidditas rei, sed accidentia eius, quibus sentitur.

«Unde omnia (color, figura et cetera accidentia carbunculi), quae visu, tactu, imaginatione de carbunculo attingo, carbunculi non sunt essentia, sed quae ei accidunt cetera, in quibus, ut sensibilis sit, ipsa enitescit, quia sine illis nequit esse sensibilis.» (NA. XI ; 24, 12)

Sed haec, quia sunt temporalia et corruptibilia, removentur a definitione.

18. Secundus modus dat locum definitioni aristotelicae. Nam illud, quod unum universum contrahitur per genus et speciem ad individuum, dicit quod res potest defini per genus proximum et differentiam specificam. Sed Nicolaus definitionem aristotelicam parvi habet. Nam definitio aristotelica, quia non valet in regione quidditatis absolutae, licet in regione quidditatis contractae valeat, ideo non potest attingere «ultimam et omni ex parte cumulatam certitudinem» (NA. XIX ; 46, 12), quae non potest attingi nisi in regione quidditatis absolutae. Nicolaus re quidem vera dicere facit Ferdinandum : «Utinam [Aristoteles ipsum 'non aliud'] attendisset ; magno quidem se et nos labore liberasset. Neque enim laboriosa logica nec difficili definiendi arte opus habuisset» (NA. XIX ; 45, 29). Ad attingendam visionem Dei non opus habemus difficili definiendi arte, quae valet in regione quidditatis contractae, sed tantum facili definiendi arte, id est, definitione per 'non aliud', quae valet in regione quidditatis absolutae.

«[Haec ipsius 'non aliud' veritas] sola perfecta est, cui nihil addi per hominem est possibile. Visum enim ad principium dirigit, ut ibidem contemplans delicietur assidueque pascatur et excrescat.» (NA. XIX ; 46, 5)

19. Iuxta primum modum habetur definitio praecisissima. Formula 'A est *non aliud* quam A' erat praecisissimus definiendi modus. Huius ratio est quia '*non aliud*', sine quo identitas alicuius cum se ipso haberi nequit, descendit ab ipso 'non aliud', quod est Deus. Inde ad ipsum 'non aliud' ascendentes videmus quod illa formula significat non solum identitatem alicuius cum se ipso, sed etiam quod ipsum 'non aliud', quod est Deus, est non aliud a rebus : e. g. definitio 'terra est non alia quam terra' dicit non solum identitatem terrae cum se ipsa, sed etiam quod terra, quae est ipsum 'non aliud',⁽⁵³⁾ est non alia a terra, quae est aliud⁽⁵⁴⁾ ; hoc dicitur quod «'non aliud' nec ab alio aliud, nec est in alio aliud» (NA. VI ; 13, 25). Inde videmus quod ipsum 'non aliud'

definire omnia significat non tantum identitatem alicuius creaturae cum se ipsa, sed etiam quod Deus est non alius ab omnibus, id est, creat, conservat et gubernat omnia.

20. Secundum porro Ludwig Baur, Nicolaus praestat nobis tres Dei conceptus praeter 'non aliud': coincidentiam oppositorum, possidet et posse.⁽⁵⁵⁾ Hos tres conceptus complicare debet ipsum 'non aliud', si est perfectissimus conceptus Dei. Re quidem vera hos complicat ipsum 'non aliud'. Primo nempe complicat conceptum coincidentiae oppositorum. Nam id, quod Deus, qui est et maximum et minimum, omnia complicat atque explicat, est ascensio triuna omnium per 'non aliud' ad 'non aliud' et descensio triuna ipsius 'non aliud' ad omnia, ut in numero 15 dictum est. Secundo complicat 'possidet'. Nam 'possidet', quod est absolutum posse, absolutus actus et horum connexio, non est aliud quam triunitas, quam dicit definitio ipsius 'non aliud', quae est 'non aliud est non aliud quam non aliud', ut in schemate 1 et 3 ostensum est. Tertio complicat 'posse'. Nam 'posse', quod est id, sine quo nihil esse, vivere et cognoscere potest, non est aliud quam ipsum 'non aliud', quod est principium essendi, cognoscendi et desiderandi.⁽⁵⁶⁾ Perfectior utique conceptus Dei quam 'non aliud' non potest occurrere.

ADNOTATIONES

- (1) NICOLAI DE CUSA DIRECTIO SPECULANTIS SEU DE NON ALIUD, Ediderunt Ludovicus Baur et Paulus Wilpert, Lipsiae, in Aedibus Felicis Meiner, 1944, C. IV, p. 9, linea 9. posthac abbreviatur ut NA. IV ; 9, 9.
- (2) Ludwig Baur : Nicolaus Cusanus und Ps. Dionysius im Lichte der Zitate und Randbemerkungen des Cusanus, Heidelberg 1941, p. 53.
- (3) Hic tractatus est insertus in 'Studies in Medieval Thought, Vol. IV, 1961'.
- (4) Cum hoc nobis bene notum sit, non citem nisi sequentes propositiones ex operibus Aristotelis et S. Thomae. *«ἐστὶν ὁ ὁρισμὸς ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι λόγος.»* (Arist. Met. Z 5, 1031a12) *«ἐπιστήμη ἐκάστου ἔστιν ὅταν τὸ τί ἦν ἐκέλευε εἶναι γινώμεν.»* (Met. Z 6, 1031b6) *«essentia est illud quod per definitionem rei significatur.»* (Thomas, De ente et essentia, c. II, n. 4) *«non res est intelligibilis nisi per definitionem et essentiam suam.»* (Idem. c. I, n. 3)
- (5) Arist. Topic. H 5, 150 a 31.
- (6) NA. I ; 3, 25.

- (7) Paul Wilpert : VOM NICHTANDEREN (Germanica translatio), Felix Meiner, 1952 ; S. 110—112, Anmerkungen zu Kapitel I, 7, 8.
- (8) Plato, Sophist. 251B—C.
- (9) «ἐν ᾧ μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτό, λέγοντι αὐτό, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἐκάστω.» (Met. Z 4. 1029 b 19) αὐτό significat id, quod definiendum est.
- (10) NA. II ; 6, 13.
- (11) «possibilitas essendi aquam» est a Paul Wilpert translatum ut «die Existenzmöglichkeit des Wassers», «die Möglichkeit für die Existenz des Wassers», «das mögliche Sein des Wassers» et «das Möglich-Sein des Wassers». Haec expressio insolita potest et alibi inveniri : «Deus est aequalitas *essendi omnia*.» (DI. III, 3; 128, 1), «quaedam absoluta *omnia essendi* possibilitas» (DI. II, 8 ; 85, 3), «praesentia est cognoscendi principium et *essendi omnes temporum differentias atque varietates*.» (NA. XVI ; 41, 14).
- (12) NA. VII ; 15, 14-28.
- (13) NA. III ; 7, 6-13.
- (14) DE DOCTA IGNORANTIA, Ediderunt Ernestus Hoffmann et Raymundus Klubansky, Lipsiae, in Aedibus Felicis Meiner, 1932, Liber II, c. 7, p. 81—84.
- (15) Sic abbreviatur DE DOCTA IGNORANTIA Liber II, c. 8, p. 88, linea 2.
- (16) NA. V ; 13, 4—12.
- (17) NA. XXIII ; 54, 28.
- (18) NA. XXIII ; 54, 10.
- (19) NA. IX ; 20, 24.
- (20) NA. XXIII ; 54, 25.
- (21) NA. XXIII ; 54, 27.
- (22) Plato, “Parmenides”, 157B—158A.
- (23) Videas tractatum meum in adnotatione (3) notatum.
- (24) Hic spiritus creatus est spiritus, sine quo nihil est unum aut subsistere potest. (DI. II, 10 ; 98, 14)
- (25) DI. II, 10 ; 97, 27.
- (26) totus iste mundus et omnia, quae in eo sunt, per ipsum spiritum, qui replet orbem terrarum, naturaliter id sunt connexive, quod sunt, ut potentia per eius medium sit in actu et actus eius medio in potentia. (DI. II, 10 ; 98, 15)
- (27) [Absolutum maximum] est absolute in eo (universo), quod est omnia contracte. (DI. II, 4 ; 75, 10)
- (28) si [mundum] ut est in possibilitate contracta consideramus, tunc possibilitas natura tantum mundum praecedat. (DI. II, 8 ; 89, 18) ; Contrahibilitas dicit quandam possibilitatem. (DI. II, 7 ; 82, 18)

- (29) (30) DI. II, 7 ; 82, 18—22.
- (31) DI. II, 7 ; 82, 24.
- (32) DI. II, 8 ; 88, 10.
- (33) DI. II, 8 ; 88, 14.
- (34) (35) contractio possibilitatis est ex Deo et contractio actus ex contingenti.
(DI. II, 8 ; 89,8)
- (36) NA. X ; 22, 10.
- (37) cum universum sit quidditas contracta, quae aliter est in sole contracta et aliter in luna, hinc identitas universi est in diversitate sicut unitas in pluralitate. (DI. II, 4 ; 74,16)
- (38) omnia entia, quae sunt partes universi,..... simul cum universo in esse prodierunt. (DI. II, 4 ; 74, 28—75,2)
- (39) praeter maximam imaginem, quae est hoc ipsum quod exemplar in unitate naturae, non est imago adeo similis aut aequalis exemplari, quin per infinitum similior et aequalior esse possit. (DI. I, 11 ; 22, 13)
- (40) cum ab illo alius sit iste carbunculus, ex essendi possibilitate, in uno alia quam in altero, hoc evenire necesse est. (NA. XII ; 25,30) ; secundum substantialem hanc materiam, quae alia in alio est carbunculo, substantialiter duo carbunculi differunt. (NA. XII ; 25, 34)
- (41) DI. II, 4 ; 74, 23.
- (42) DI. II, 5 ; 78, 25.
- (43) NA. XII ; 26, 23.
- (44) NA. XIII ; 27, 2—8.
- (45) DI. II, 5 ; 78, 23.
- (46) DI. II, 4 ; 75, 10.
- (47) Absurdum profecto ! Nam ipsum 'non aliud' substantia foret universi et ita ipsum universum foret, quod tamen video impossibile, quando ipsum ante universum et aliud conspicio. (NA. XII ; 26, 26)
- (48) DI. II, 4 ; 75, 16.
- (49) Deus non est in sole sol et in luna luna. (DI. II, 4 ; 74, 20)
- (50) DI. II, 4 ; 74, 19 ; In qualibet creatura universum est ipsa creatura. (DI. II, 5 ; 76, 10)
- (51) E. Hoffmann et R. Klibansky legunt 'ipse', sed melius videtur legere 'ipsum' secundum editionem parisinam.
- (52) omnis theologia circularis et in circulo posita existit. (DI. I, 21 ; 44,4)
- (53) Citatio in numero 16 : NA. XXI ; 51, 14—23.
- (54) Citatio in numero 7 : NA. VI ; 14, 8.
- (55) Ludwig Baur : Tractatus in adnotatione (2) notatus, S. 50—55.

56 Nam [voluntas regis rugum, qui per 'non aliud' significatur] ibi (in anima nostra) relucet ut principium essendi, a quo anima habet esse, et ut principium cognoscendi, a quo cognoscere, et ut principium desiderandi, a quo habet et velle. (NA. IX ; 20, 28.)

ADDENDA ET CORRIGENDA

in tractatu meo in STUDIES IN MEDIEVAL THOUGHT Vol. IV inserto.

- p. 200, 20 descendo : descendendo
- p. 90, 7 n. p. r. を上昇させよう。n. p. r. と : n. p. r. を上昇させよう。n. i r. と
- p. 95, 11 基本的 : 基体的
- p. 95, 15 ita Deus est us sit : ita Deus est ut sit
- p. 97, 13 何性 (quidditas) である。 : 何性 (quidditas) II, 4 ; 74, 17」である。
- p. 97, 17 addas その絶対的な存在性と絶対的な何性として
- p. 97, 19 すなわち : と
- p. 97, 24 addas その絶対的な存在性と絶対的な何性として
- p. 97, 25 deleas 上の引用 (II, 4 ; 74, 13~14) から明らかなように et addas
それは
- p. 97, 26 deleas (絶対的な存在性)
- p. 99, 6 deleas …り, 絶対的な何性の…………… et legas : ある。
- p. 100, 2 Raymunds : Raymundus